



**R. P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, E Societate Iesv, In
Collegio Romano eiusdem Societ. olim Theologiæ
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis, Disputaciones
Scholasticæ, Et Morales, De Sacramentis in ...**

Lugo, Juan de

Lugduni, 1652

2. Vtrum corpus existens in duplici loco debeat habere vtrobique eadem
accidentia, & easdem mutationes?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82340)

fit impedimentum naturale ad quamlibet praesentiam propria virtute producendam, non mirum, quod non possit illud corpus mouere se, sed solum moueri à Deo, qui ipsum in tali spatio cum illis impedimentis collocauit. Lapis ergo cum alio lapide eo modo penetratus à solo Deo nolente dare concursum indebitum lapidi, non poterit propria grauitate descendere, nec homo posset ambulare, vt regrederetur vel progrediretur vterius, sed deberet ibi manere inclulus, donec extraheretur à Deo qui illum ibi clausit. Similiter homo eo modo positus in duobus locis à solo Deo nolente illi dare concursum indebitum, in neutro loco posset ambulare, & mouere se, sed solum posset moueri à Deo, propter impedimentum alterius praesentiae, cum qua non potest homo propria virtute aliam praesentiam simul producere.

Ceterum de facto Deus in eiusmodi miraculis non se gerit hoc priori modo, sed posteriori volendo scilicet, quod corpora propria grauitate, aut virtute motiua operentur, & producant, vel conseruent illam praesentiam, non obstantem naturali impedimento alterius corporis, vel alterius praesentiae eiusdem corporis. Sic quando corpus Christi penetratum fuit cum Virginis vtero in natiuitate, vel cum portis Cenaculi, voluit Deus concurrere cum ipso corpore ad motum localem, & ad praesentiam producendam per potentiam suam motiua, non obstante illo naturali impedimento alterius corporis. Sic etiam quando corpus Christi positum fuit in Eucharistia manens in caena visibile apud Discipulos sicut prius, volebat Deus concurrere cum illo corpore ad conseruandum suum *vbi*, quod habebat in loco, *vbi* stabat, vel recumbebat; ita vt illa praesentia penderet à virtute propria ipsius corporis, sicut prius, non obstante illa secunda praesentia eiusdem corporis in alio loco. Sed denique, quando aliqui sancti viri miraculose positi sunt à Deo in duobus locis distantibus, prout de Sancto Francisco Xaue-rio refertur in eius historia, ita positi sunt, vt eorum praesentia localis penderet ab ipsis, & non à solo Deo; nam eodem modo ambulabant, stabant, & mouebantur à se ipsis, sicut antea.

Quando ergo Deus eo modo replicat corpus in alio loco, fatendum videtur, ex suppositione primi miraculi, posse, & debere illud corpus moueri, & grauitate, sicut si esset in vno solum loco. Probatur ex dictis; & quidē si ad hunc finem additur qualitas intrinseca, vt aliqui volebant, constat iam ex vi illius qualitatis deberi corpori motum, ad quem ordinatur talis qualitas; sicut corpori glorioso ex vi simi- lis qualitatis in ea sententia debetur concursus ad transcendendum per aliud corpus. Si vero non ponatur talis qualitas, sed Deus solus concurrans ad eum motum, adhuc ex suppositione talis replicationis debet concursus Dei, quia supponimus, Deum voluisse Petrum v.g. manere Romae stantem, vel iacentem, sicut erat prius, atque adeo cum vocatione conseruata à sua propria virtute, qua sustinet corpus stando, vel à grauitate, à qua procedit vbiatio iacentis; quando autem auferatur corpus, quod erat infra ipsum, & à quo sustinebatur, non poterit amplius propria grauitate conseruare illud *vbi*; nam grauitas non potest conseruare *vbi* corporis grauis in aere, sed debet inferius descendere; quod idē est, si prius propria virtute stabat, & auferatur pauimentum, cui pedes innitebantur; tunc enim propria virtus non potest amplius conseruare illud *vbi*; ergo si Deus volebat Petrum esse Romae cum praesentia producta, vel conseruata à virtute, aut grauitate propria, necesse est, vt possit in iis casibus grauitate,

aut ambulare ad acquirendum aliud *vbi*, quod possit prouenire ab eius virtute, aut grauitate loco *vbi* praecedentis. Vnde consequenter dicendum est, posse etiam Petrum in illo loco ambulare pro libito, deberique ei concursum ad ambulandum, & mouendum linguam, labia, manus, &c. quia volente ipso ambulare, iam potentia, & virtus motiua ipsius non potest amplius conseruare vocationem, quam prius conseruabat dum stabat; virtus enim motiua hominis non potest operari, aut producere vocationem, nisi ex imperio appetitus, vel voluntatis; ergo cessante imperio voluntatis circa vocationem, non poterit amplius virtus naturalis Petri conseruare illam vocationem praecedentem; ergo si pedes, vel lingua debent esse Romae per vocationem prouenientem ab ipso Petro, debet dari ei concursus ad illam aliam vocationem producendam, quam vult producere per illum motum localem, quem imperat. Similiter si prius iacebat, & postea velit surgere, grauitas, quae conseruabat prius *vbi*, non potest naturaliter resistere conatui, vel voluntati efficaci, qua homo vult surgere; ergo non potest amplius conseruare illud prius *vbi*, & per consequens debetur Petro concursus ad aliud *vbi*, si debet manere Romae per *vbi* proueniens ab ipso.

Aduerte item, quando eo modo replicatur à Deo corpus in duobus locis, posse adhuc id dupliciter contingere. Primo ita vt Deus velit in vtroque loco corpus habere *vbi* dependentem à propria grauitate, vel potentia passiuā; & tunc, posita eiusmodi replicatione, debetur corpori in vtroque loco concursus ad motum; siue progressiuum, siue grauitationis, prout occasio tulerit, propter rationem supra positam. Sic sancti illi viri, qui miraculose in diuersis simul locis eodem tempore visi sunt, in vtroque loco mouebantur, & conseruabant suas vocationes, sicut si essent in vno solo loco. Secundo, potest Deus velle, corpus esse in altero loco per *vbi* acceptum à solo Deo, vel causa aliqua supernaturali; in altero autem loco per *vbi* dependens à virtute, vel grauitate propria ipsius corporis; & tunc in vno solum loco debet ei concursus ad ambulandum, grauitandum, &c. Sic ponitur de facto corpus Christi in Eucharistia per *vbi*, non proueniens à grauitate, aut potentia motiua ipsius corporis, sed vel à Deo, vel à virtute supernaturali, quae sit in speciebus, vt postea videbimus; in caelo tamen manet per vocationem dependentem à virtute ipsius corporis, atque ideo in caelo solum debetur ei concursus ad motus locales propria virtute efficiendos, non in Eucharistia. Ex quibus omnibus patet iam responsio ad illud fundamentum P. Vasquez.

Obiciunt vltimo, quia sequeretur, eundem hominem viuere simul, & mori, amare, & odio habere idē obiectum; frige fieri, & cale fieri; ac denique peccare in vno loco, & in alio mereri. Hoc argumentum fere aequae militat contra Eucharistiam; quia etiam ex hoc mysterio sequi videtur, posse Christum mori extra Eucharistiam, & in Eucharistia non mori; amare in caelo, & odisse in Eucharistia; & sic fere de aliis. Quid autem dicendum sit in his casibus, peculiarem petit disputationem, de qua sectione sequenti.

SECTIO II.

Vtrum corpus existens in duplici loco, debeat habere vtroque eadem accidentia, & eandem mutationes?

Hanc quaestionem late disputat Suarez *vbi supra* praesect. 5. & 6. à cuius tamen doctrina aliquantulum

31.

32.

Quando corpus per replicatur, illud potest dupliciter contingere.

33.

Obiectio vltima. Responsio.

34.

Suarez.

27. Responsum.

29. Non tamen hoc contingit.

26. Ex hoc est quod corpus debet moueri & grauitate, &c.

30. Ex suppositione primi miraculi illud corpus debet moueri & grauitate, &c.

27.

Solut.

28. Praesentia eius in vno loco debet conseruari, &c.

*Conclusio
prima com-
muni.*

tulum discedendum erit. Dico primo loquendo de iis omnibus, quæ non dependent essentialiter ab hoc loco, non repugnat de potentia absoluta, ea omnia collocari utrobique cum ipso corpore. Hæc est communis, & probatur, quia sicut non repugnat, idem corpus habere duas vicationes in duplici loco; cur magis repugnabit, colorem, vel aliud accidens illius corporis habere alias duas præsentias in illo duplici loco?

*35.
Conclusio se-
cunda.*

Dico secundo; non repugnat de potentia absoluta, poni aliquod corpus in duplici loco, & tamen accidentia, quæ habet in vno loco, non poni in alio. Hæc est contra nonnullos, quos affert Suarez *diff. 48. sect. 5.* dicentes, non posse de potentia absoluta poni corpus in alio loco, quin ibi ponatur etiam ea omnia, quæ secum alibi habet. Sed re vera nostra conclusio est verior; & probatur primo ex prima conclusione; quia non repugnat, imo necesse est, præsentiam localem, quam corpus habet in vno loco, non haberi in alio, licet vere sit vnita cum illa; ergo non repugnabit, albedinem, quam habet in vno loco, non haberi in alio. Quæ enim in hoc est maior contradictio: Probatur secundo exemplo animæ rationalis, quæ quidem existit in capite, & in pede; & tamen non habet in pede vnionem, nec aliqua accidentia, quæ habet in capite; ergo similiter, si homo poneretur in alio loco, posset de potentia absoluta carere ibi aliquibus accidentibus, quæ hic habet. Denique probatur à priori, quia præsentia corporis non est præsentia albedinis, v.g. nec è contra; sed sunt duæ vicationes distinctæ, vel certè loquendo de possibili, possunt esse distinctæ; ergo potest à Deo produci secunda præsentia corporis, quin producat secunda præsentia albedinis: in hoc enim nulla apparet implicatio contradictionis.

*Probatur pri-
mo.*

*Probatur se-
cundo.*

*Probatur ter-
tio à priori.*

*36.
Instantia.
Diluitur.*

*Quæsi-
tum.*

Satisfit.

Dicunt, sequitur ex hoc, Petrum habere albedinem, v.g. & non habere albedinem, quia hic habet illam, & Neapoli non habet. Sed facile dissoluitur hæc contradictio, quia negatiua est falsa; cum enim sit vniuersalis, facit hunc sensum: *Petrus nullibi habet albedinem*, qui est falsus: habet enim albedinem in vno loco. Petes, vtrum hæc conclusio locum habeat in omnibus accidentibus, quæ non dependent à loco: Respondeo, in omnibus, nisi forsitan excipienda sit actio; non enim videtur posse poni Petrum Romæ, quin ibi ponatur sua actio, quia dependet à Deo; nam cum ibi etiam habeat suum esse, debet ibi illud habere acceptum à Deo per influxum, & per consequens necesse videtur, quod ibi existat actio, quæ illud esse accipit. Cæterum adhuc de ipsa actione defendi potest conclusio, quia potest ad minus Deus ponere Petrum Romæ productum ex vi alterius actionis nouæ distinctæ ab actione, qua conseruatur alibi, & per consequens potest tunc esse Petrus Romæ sine actione, qua alibi conseruatur.

*37.
Conclusio
tertia.*

Dico tertio, si Deus operetur conformiter ad naturas rerum, in casu, quo ponat corpus in duplici loco, debet etiam ponere utrobique ea omnia, quæ in primo loco habebat, exceptis iis, quæ dependent è loco, vt dictum est. Conclusio comprehendit non solum proprietates naturales, sed alia etiam accidentia communia, vt colorem, albedinem, &c. item non solum ea accidentia, quæ haberet tunc, quando poneretur in secundo loco, sed ea etiam, quæ postea denuo acciperet per alias mutationes. Quare si Petrus existens alibi collocaretur Romæ, & postea alibi infrigidaretur, deberet etiam Romæ infrigidari.

*38.
Probatur pri-
mo.*

Probatur primo conclusio exemplo Christi Domini, qui, vt postea videbimus, iuxta communè sententiam Theologorum, habet in Eucharistia non solum passiones, sed alia etiam accidentia indepen-

dentia à loco, quæ habet in cælo; quæ quidem, licet non ponatur in Eucharistia ex vi verborum, ponuntur tamen per concomitantiam; quam concomitantiam Concilium Tridentinum *sess. 13. c. 3.* dicit, esse naturalem connexionem vnus cum alio; ideoque ait sub speciebus panis poni animam Christi Domini; quia licet ibi solum ponatur corpus ex vi verborum, quia tamen anima vnita est corpori Christi in cælo, ideo ponatur etiam cum corpore in Eucharistia; quod idem dicendum est de potentiis, & passionibus; nam hæc etiam habent naturalem connexionem cum essentia; ergo si Petrus ponatur modo in duplici loco, habebit etiam utrobique eandem potentias, & proprietates, propter eandem naturalem connexionem passionum cum essentia. Deinde habebit eandem accidentia utrobique; nam licet hæc accidentia non habeant tantam connexionem cum subiecto, quantum habent passiones; habent tamen aliquam connexionem ratione vnionis, ob quam Theologi censent, Christum, vt prædixi, in Eucharistia non solum habere eandem passiones, sed eandem etiam alia accidentia; quæ habet in cælo; ergo idem dicendum est de quouis homine existente in duplici loco.

Probatur secundo, quia iuxta naturam rei est, vt ea, quæ cum aliquo vniantur, illud comitentur, quocumque ierit; vnio enim est societas perpetua eorum, quæ vniantur: quare dixit Aristoteles *metaph. 10. c. 1.* *nobis, moueri omnia, quæ sunt in nobis*; idque experientia confirmat, quæ videmus, mota substantia, moueri simul omnia accidentia, quæ sunt in illa; ergo si substantia deferatur ad alium locum perseverans adhuc in primo loco, secum etiam deferret omnia sua accidentia; ratio enim vnionis id videtur conaturaliter postulare.

Dices, ergo si ponatur in duplici loco pars aquæ, quæ est in hoc vase, debent etiam poni in vtroque loco alia omnes partes aquæ, quæ vniantur hic cum illa. Nonnulli negant consequentiam; ego tamen libentius concedo: nam re vera illa vnio est aliquis modus substantialis illius partis aquæ; quare conaturaliter debet illam partem semper comitari, donec illa vnio corrumpatur.

Obiicit primo, impulsus, quem recipit corpus in vno loco, est accidens independens à loco; & tamen hic impulsus non haberetur utrobique; Christus enim Dominus non habet in cælo impulsus, quem habet in Eucharistia, nec è contra; ergo non omnia accidentia, quæ videntur à loco, habentur utrobique. Consequentia patet. Maior probatur; quia licet præsentia localis, & motus localis, qui fit ab impulsu, dependeat essentialiter ab hoc loco: at vero ipse impulsus est quædam qualitas præcedens, quæ potest eadem produci in alio loco, & quæ potest moueri de loco in locum, vt patet in lapide sursum proiecto, qui deserit secum in alium locum impulsus, quem accepit à manu proiciens; ergo impulsus est accidens independens à loco. Responderi potest primo, licet impulsus in seipso non dependeat essentialiter ab hoc loco, ordinari tamen ad producendam præsentiam localem, & ideo non poni eundem impulsus in vtroque loco; quia cum non habeat, virtutem ad producendum plusquam vniam præsentiam, non posset utrobique operari; & per consequens frustra poneretur in vtroque loco.

Cæterum hoc non videtur satisficere, quia potentia etiam loco motiua corporis Christi non potest in Eucharistia aliquod operari; nam ibi non potest corpus Christi se loco mouere, sed solum moueri ad motum specierum; & tamen illa potentia loco motiua (si distincta est à substantia) ponitur in Eucharistia per concomitantiam; ergo & impulsus, quem

quem accipit in celo, potest, & debet poni in Eucharistia per concomitantiam, licet ibi non possit operari. Ratio sumitur ex dictis, quia vno physica videtur hoc potest, vt si vnum extremum potest poni, vbi est aliud, ponatur, vt dictum est: cum ergo impulsus ille vnatur physice corpori in alio loco, & aliunde possit poni in hoc etiam loco, non est, cur non ponatur, vt hic etiam perficiat subiectum, & communicet illi suum effectum formalem, licet non operetur hic efficienter suum effectum.

42. *Confirmatur.* Confirmatur, quia quantitas etiam ordinatur ad impenetrationem actualem magis, quam impulsus ad motum localem actualem: nam impulsus potest naturaliter impediri à sua operatione, vel per resistenciam subiecti, vt cū ego impellor ab alio, & tamen non moueor, quia per conatum resisto motui, vel per impulsum contrarium, vt cum à duobus agentibus impellitur corpus in partes contrarias, & altero alterum impediendo, non mouetur: quantitas vero nō potest naturaliter impediri ab operando actuali impenetratione; & tamen in Eucharistia ponitur quantitas Christi, vbi non operatur actualem impenetrationem, quia nimirum habet saltem ibi suum effectum formalem, & perficit subiectum; ergo eodem modo potest poni ibi impulsus alibi impressus, licet ibi non operetur motum localem.

43. *Respondetur.* Melius ergo, & magis consequenter responderi potest, impulsus etiam sicut & alia accidentia, debere poni in vtroque loco, vbi est idem corpus; atque ideo corpus Christi in Eucharistia habere eundem impulsus, quem in celo accipit, sicut & habet eandem speciem impressam, quas eius oculi alibi ab obiectis accipiunt; non tamen habet in celo impulsus, quem in Eucharistia accipiat; quia in Eucharistia non accipit impulsus vltim ab agentibus naturalibus, sed mouetur à speciebus illud secum trahentibus per qualitatem supernaturalem ad hunc finem acceptam, vt postea videbimus, qui motus fieri potest absque omni impulsu.

44. *Obiicitur.* Dices, ergo si Petrus ponatur in duplici loco circumscriptiue, & in vno accipiat impulsus, in altero etiam loco impellatur, & mouebitur localiter per illum impulsus vtrouique existentem. Cur enim magis ille impulsus operabitur motum localem in vno loco, quam in alio? Quamuis enim vnus impulsus non possit producere nisi vnum motum, quando tamen impulsus esset vehemens, posset diuidere suam operationem, ita vt in singulis locis causaret motum minorem, & ex vtroque fieret totus motus correspondens efficaciam illius impulsus.

45. *Respondetur.* Respondeo, id non sequi; quia licet hic impulsus non sit illigatus ad hunc locum; est tamen alligatus ad producendam presentiam, & motum in tali loco, & non in alio. Potest quidem ipse impulsus etiam naturaliter esse in loco, in quo non potest producere motum, aut presentiam, vt constat, quando lapis impellitur ab aliquo sursum, & ab alio potentiori deorsum, tunc enim in lapide descendente deorsum manet adhuc impulsus, quo deberet ascendere sursum; ideo enim lapis tardius & lentius descendit, quia impeditur aliquantulum, & retardatur ab impulsu contrario adhuc in eo manente; ergo ille impulsus descendit etiam ad eum locum, in quo non operatur motum, ad quem ordinabatur. Est ergo magis indifferens de se impulsus ad hunc, vel illum locum, quam sit ipsa presentia localis; atque ideo posset in nostro casu replicari in vtroque loco; non tamen posset in vtroque operari motum, quia de se est alligatus ad motum in tali linea deducta à tali spatio, in quo imprimitur. Qualem enim motum produceret impulsus impressus in lapide ad eleuandum

P. Ioan. de Lugo de Sacramentis.

eum sursum, si hic idem impulsus ponatur cum eodem lapide replicato apud Antipodas nostros: Nam si ibi impellerent lapidem versus eadem partem, versus quam hic impellit, non ascenderet ibi lapis, sed descenderet in centrū; quod videtur esse contra naturam illius impulsus, qui est violentus, & ordinatur ad eleuandum sursum lapidem, non ad aggrauandum & deprimendum deorsum. Aliunde vero non videtur, quod ille impulsus posset ibi etiā eleuare sursum lapidem; nam ille esset motus contrarius motui, quem hic operatur, & ad quē ordinatur, cum per illum motum potius recederet, quam accederet ad terminum, quem intendit in hoc loco.

Facilius ergo dicitur, impulsus esse qualitatem ita de se alligatam ad talem motum producendum, vt si ponatur in alio loco, non possit motū producere: ad hoc enim datur ab agente, & impellente extrinseco, vt scilicet faciat, quod ipse faceret, & ferat lapidem ab hoc loco ad illum, ad quem ab impellente determinate dirigitur: respicit ergo talem lineam spatij deductam à tali puncto, in quo imprimitur. Fateor, aliquando lapidem impulsus, & repercussū postea à pariete aduerso, reuertit per motum reflexum in partem contrariam, ad quem motum concurrat etiam prior impulsus, refractus tamen, & quasi contemperatus per alium impulsus impressum à pariete: & ideo non mirum, si refractus sit etiam motus, & linea per quam fit, semper tamen deducitur cōtinua à puncto spatij, à quo impellitur; & fertur, quantum potest, ad illam partem, ad quam ab impellente dirigebatur, quod si non potest, peragat tamen tantum inter continuū ab illo puncto, à quo exiit, & semper lineam rectam saltem à puncto reflexionis, & repercussionis: sicut etiam species impressa emissa ab obiecto veniunt ex natura sua per lineam rectam ab obiecto ad oculum, aliquando tamen propter reflexionem speculi reuertuntur; semper tamen peragunt cursum per lineam continuam ab obiecto, vel saltem à puncto reflexionis; quare hæc videtur esse natura specierum, & impulsus, vt semper operentur per lineam rectā à puncto spatij, in quo est obiectum, vel imprimēs impulsus. Vnde licet impulsus ponatur in vtroque loco, non tamen operabitur, nisi in illo, in quo est, qui illum impulsus imprimat. Quod idem videtur dicendum de speciebus; si enim aliqua pars huius aëris replicaretur Neapoli cum eisdem speciebus impressis, quas in se habet horum obiectorum, adhuc illæ species non producerent Neapoli in aëre contiguo alias species eorum obiectorum; quia solum possunt producere alias species in linea continua deducta à puncto, in quo emittuntur ab obiecto.

46. *Dicimus primo impulsus replicari non posse producere motum.*

Idem fore dicitur de speciebus impressis.

Dices, radius etiam solaris non operatur, nisi per lineam rectam deductam ab ipso sole: & tamen si hic aër illuminatus replicaretur alibi cum radio solari, quem in se habet, procul dubio illuminaret aërem proximum magis quam lumen lucernæ; ergo & species obiecti replicata alibi produceret speciem aliam in aëre proximo. Respondeo, radium solarem non producere alium radium, nisi per lineam rectam deductam à sole, producere tamen in circuitu lucem aliam minorem. In illo ergo casu, si aër hic cum radio solari in ipso producto replicaretur alibi, consequenter dicendum videtur, quod radius ille ibi non produceret alium radium similem in aëre proximo, quia hic non producitur, nisi in linea recta, & aperta ad aspectum Solis; produceret tamen in circuitu aliam lucem minorem, qualem producit etiam nunc in cubiculo, in quo toto non producitur radius Solis. Species autem obiecti non generant in circuitu alias species minores,

47. *Instantia.*

Diluitur.

sed solum & omnes species producant in linea recta, deducta ab obiecto per medium apertum; quare replicata species in alio loco longe ab obiecto nullam aliam speciem produceret in spatio proximo.

48. Obiectio secunda.

Responsio.

Res ubi adquate existit, debet secum habere omnem suam supellestem.

Obiicitur secundo, materia pedis vnitur animæ rationali; & tamen non est vbiicumque est anima rationalis: non enim est in capite, vbi est anima; ergo non est iuxta naturam rerum, vt ea, quæ alicui vniuntur, sint vbiicumque est illud. Respondeo, conclusionem nostram habere locum, quando aliquid ponitur in pluribus locis adæquatis; tunc enim debet secum habere in singulis locis omnes suas proprietates, & accidentia, non vero in singulis partibus cuiuslibet loci. Ratio discriminis est, quia res, vbi adæquate existit, debet secum habere omnem suam supellestem, vt ita dicam; debet enim ibi ita existere, ac si nusquam alibi existat: at vero vbi inadæquate existit, non debet ea omnia habere; quia præsentia partialis supponit rem alibi partialiter existere, vbi habeat, quæ ibi ipsi defunt. Ex quo fit, moto digito, licet moueatur tota anima, non tamen mouetur aurem, quia non mutauit animæ locum adæquatam; at vero si mutet locum adæquatam, tunc debent moueri omnia, quæ vniuntur cum anima in quavis parte.

49. Obiectio tertia.

Responsio.

Ignis sic existens non quidem producit calorem Romæ, sed calorem qui est Romæ.

Obiicitur tertio, si idem homo ponatur Romæ, & alibi, si calefiat alibi ab igne applicato, non potest Romæ calefieri ab eodem igne distanti: ergo Romæ non habebit hanc calefactionem; à quo enim ibi produciatur? Respondeo, ignem alibi applicatum producere calorem ibi, quem quidem calorem ibi productum, & calefactionem etiam productam Deus deferret Romæ, non quidem reproducendo illum calorem Romæ per aliam actionem, sed producendo solum aliam præsentiam localem illius caloris, & calefactionis ibi existentis: posito enim primo miraculo, quod idem corpus existat alibi, & Romæ, connaturaliter petitur hoc secundum, quod accidentia, quæ ibi habet, habeat etiam Romæ. Quare distinguenda est illa propositio: ignis alibi existens calefacit Romæ; aut enim significatur, ignem existentem alibi ponere calorem Romæ, & hoc est falsum; quia ille ignis non dat calorem illam præsentiam, quam habet Romæ, sed solum Deus; aut significatur, ignem ibi existentem producere illum calorem, qui est Romæ; & hoc est verum, neque ex hoc sequitur illum ignem agere in distans, quia licet illud corpus, quatenus existit Romæ, sit distans ab eo igne, quatenus tamen existit ibi, est præsens agenti, quod sufficit, vt non dicatur ignis ille operari in distans: sicut anima rationalis, quæ est in pede, & in capite, non dicitur distare à pede, licet caput distet à pede.

50. Quæstio.

Satisfit.

Non crescit virtus actiua nisi passiuam corporis repliat.

Petes, quid si homini Romæ, & alibi existentis, alibi applicetur ignis, & Romæ nix habeat Romæ calorem alibi productum; an ibi habebit frigus Romæ productum? Respondeo vno verbo; in hoc, & aliis similibus casibus (qui plures possunt excogitari) eodem modo se geret illud corpus in ordine ad diuersa agentia in diuersis locis applicata, ac si in eodem loco sibi applicarentur: quare sicut si ignis, & nix eodem loco applicarentur, partim calefieret, & partim in frigidaretur, ita vt tepidus maneret; sic ex igne & niue in diuersis locis applicatis manebit vtrobique tepidus. Ratio est, quia ex eo, quod ponatur corpus in duplici loco, non crescit eius virtus actiua, vel passiuam; & per consequens non magis potest habere simul formas contrarias, quam si esset in vnico loco: repugnantia enim duarum formarum contrariarum non est in ordine ad locum, sed in ordine ad subiectum, à quo præcipue

se mutuo expellunt. Cum ergo vtrobique sit idem subiectum, non poterit hic habere calorem intentum, & alibi frigus intentum.

Hinc infero primo, si homo in vno loco interficiatur, & in eius materiam introducat forma cadaveris; in alio etiam loco moriturum, & conuertendum in cadauer. Item si in vno loco comedat vtique ad satietatem, in alio loco non possit alios cibos comedere. Item, si in vno loco loquatur, & attendat nimum aliquibus rebus, in alio loco non habiturum attentionem aliis rebus, magis quam si in eodem loco vttrumque obiectum proponeretur, quos experientia comprobauit in aliquo miraculose in duplici loco constituto, qui interim dum alibi intendebat, in alio loco erat quasi in ecstasi sine attentione ad ea, quæ agebantur; si vera est historia, quam narrat S. Antoninus 1. parte Hist. tit. 6. c. 20. quod, dum S. Antoninus apud Perragoricas celebraret, iustus est ire Terraconam, vbi in ecclesia corpus S. Marthe solemniter sepeliunt, interim dormiens apud Perragoricas iuxta altare; postea verò euigilans misit aliquem Terraconam, qui annulum, & chirothecas reportaret, quæ illic per obliuionem reliquerat. Vnde non videntur fuisse illa per visionem solum representata, sed potius replicatum verè Frontonium, ita tamen, in vno solum loco posset ad operationes humanas attendere.

Aduerte tamen, hoc procedere in casu, quo Deus se conformet naturis rerum: secus enim bene poterit in diuersis locis idem corpus habere mutationes contrarias, & ita in singulis locis se gerere, in ordine ad agentia, quæ ibi applicantur, ac si in nullo alio loco ab aliis agentibus pateretur. Cæterum in hoc casu necesse esset, confortari à Deo potentiam actiuam, & passiuam eius corporis ad agendum, & patiendum plures effectus, quam eius naturalis virtus de se posset: non enim minor virtus exigitur ad agendum, vel patiendum in diuersis locis duos effectus, quam ad agendum, vel patiendum illos in eodem loco, vt supra dictum est.

Infero secundò, si formæ istæ taliter opponantur, vt nec de potentia absoluta possint esse simul in eodem subiecto in vno loco existenti, nec etiam posse se compati in eodem subiecto in diuersis locis. Quare assensus, & dissensus, amor & odium eiusdem obiecti (quos actus in lib. de Anima dixi non posse esse simul de potentia absoluta) non poterunt esse etiam in diuersis locis; nec fieri poterit, vt Petrus hic credat aliquid, cui alibi expresse dissentiam: repugnantia enim horum actuum, sicut & aliorum accidentium independentium à loco, non est, vt prædixi, in ordine ad eundem locum, sed in ordine ad idem subiectum; nam in eodem loco possunt esse assensus, & dissensus eiusdem obiecti in duobus Angelis existentibus in eodem loco. Repugnantia ergo est in hoc, quod idem homo assentiat, & dissentiat expresse, & simul eidem obiecto.

Hæc, vt prædixi, procedunt, si Deus operetur connaturaliter ad positionem primi miraculi: cæterum si Deus noller mutationes, quæ sunt in vno loco, transferre in alium; quid dicendum esset, si eidem corpori applicaretur alibi ignis, & Romæ nix, calefieret ne ibi, & in frigidaretur Romæ? P. Suarez vbi supra docere videtur, posse tunc vtrobique pati ab agente ibi applicato, ita vt ibi esset nimis calidum, & Romæ nimis frigidum.

Dico tamen vltimo, in prædicto casu, licet mutationes eadem posituæ non ponerentur vtrobique; resisteret tamen corpus per qualitatem hic acceptam agenti alibi applicato; quare si hic supponatur calefactum vt quinq; ab igne hic applicato, tunc licet

licet iste calor ut quinque non poneretur alibi, expellerentur tamen ibi quinque gradus frigoris, ita ut solum esset ibi frigidum ut tria; & tunc si superueniret alibi nix, in tantum posset infrigidare illud corpus, in quantum infrigidaret illud, si applicaretur hic eadem nix, ubi est ignis applicatus. Quare si nix haberet tantam virtutem, ut posita hic superaret virtutem ignis presentis, & infrigidaret passum ad sex gradus, ibi etiam infrigidabit illud usque ad sex gradus, & tunc etiam hic manebit calidum ut duo, licet non ponatur hic omnes illi gradus frigoris alibi producti. Denique, si hic aegrotaret homo, licet illa febris non poneretur alibi, attamen ibi auferretur temperamentum sanitatis, & per consequens, quando hic moreretur, moreretur etiam ibi, hoc est, defineret esse anima in illa materia, licet non introduceretur a forma cadaveris, quae hic introducitur. Et sic de aliis casibus iudicandum est.

Ratio horum omnium sumitur ex supradictis; quia licet Deus non duplicaret presentiam formae, vel mutationis hic productae; non tamen augetur virtutem subiecti ad habendum simul duas formas contrarias; ergo cum tota repugnantia duarum formarum non sit in ordine ad eundem locum, sed in ordine ad idem subiectum, consequens est, ut, nisi Deus aliud ordinaret, subiectum quod hic est summe calidum, non posset esse alibi summe frigidum.

Confirmatur ad hominem contra Suarez, qui ubi supra sect. 6. negat, eundem hominem posse in vno loco assentire, & alibi simul dissentire eidem obiecto, quia illi duo actus repugnant de potentia absoluta, non quidem ratione loci, sed ratione subiecti, in quo sunt; ergo similiter calor, & frigus in diversis locis repugnabunt naturaliter in eodem subiecto; quia repugnantia frigoris, & caloris non est in ordine ad locum, sed in ordine ad subiectum.

Dices, si lignum sit utrobique frigidum, & in vno loco calehat ut tria ab aliquo igne, tunc sane hic amittere tres gradus frigoris, non tamen habebit illos tres gradus caloris, quos habet ibi, quia Deus non vult illos hic collocare. Rursus, applicatur hic aliquis ignis, qui posset illud calefacere ut tria; inquit, habebitne hic ex vi illius secundi ignis aliquos tres gradus caloris?

Nonnulli respondent negatiue; quia cum inueniat iam subiectum absolute calidum ut tria, & simile non agat in simile, non poterit dare illi subiecto illum gradum caloris, quem iam subiectum vere habet, licet non habeat illum in hoc loco. Sed contra; quia si uterque ignis applicaretur in eodem loco, vere illud passum haberet maiorem calorem, quam ab vnoquoque solo; ergo etiam si applicentur in diversis locis, debent producere in passu plus caloris, quam vnusquisque solus produceret. Item si, agente priori igne, superueniret secundus, tunc procul dubio effectus productus a primo conseruaretur ab vtroque; nam secundus ignis habet virtutem ad conseruandum illum effectum; ergo etiam si superueniat in alio loco, operabitur illum effectum saltem partialiter: causa enim applicata passu cum sufficienti virtute, non potest esse otiosa; nec est maior ratio, cur agat ille ignis, quam iste.

Respondeo ergo, ab hoc secundo igne & primo applicatis in diversis locis eidem passu produci in passu illos gradus caloris, quos produceret uterque ignis, si simul in eodem loco applicaretur. Quia tamen Deus non vult, eundem gradum caloris producti esse in vtroque loco, ita debet effectus diuidi, ut dimidia pars caloris sit alibi conseruata ab igne ibi applicato, & alia dimidia sit hic conseruata ab igne hic applicato. Cum enim vter-

P. Ioan. de Lugo de Sacramentis.

que ignis habeat ius ad operandum circa illud passum, & neuter possit producere totum effectum partialiter partialitate causa; consequens erit, ut producant illum partialiter partialitate effectus, diuidendo effectum inter vtrumque locum. Quae autem pars ponenda sit hic, quae vero alibi, ad Deum spectabit id assignare, qui est auctor naturae, & debet vtrique causa prouidere. Restat dicendum de accidentibus dependentibus a loco, an debeant & ipsa replicari cum subiecto replicato; de quo sectio sequenti.

SECTIO III.

Utrum accidentia, quae dependent ab hoc loco, debeant, vel possint replicari, replicato suo subiecto.

Communiter negatur ab omnibus Philosophis, corpus existens in duplici loco habere utrobique eandem presentiam localem, vel alios modos, qui essentialiter respiciunt hoc spatium, vel includunt presentiam localem, qualis est situs, extensio partium, figura situata, &c. quia hoc ubi essentialiter affigitur huic spatium; ergo non potest moueri ab hoc spatium, nec in alio loco collocari. Quare Christus Dominus licet habeat in Eucharistia accidentia, quae habet in caelo, imo & figuram organicam, ut videbimus infra, non tamen habet presentiam localem, quam habet in caelo, nec alia accidentia, quae dependent essentialiter a loco.

Aliqui tamen Recentiores Philosophi contendunt, quod de potentia absoluta possit vbicatio Petri, quae est Romae, poni eadem alibi, non ita ut non maneat Romae, hoc enim est impossibile, nam effectus formalis illius vbicationis, est, constituere Petrum presentem Romae; quare non potest esse illa vbicatio in Petro, quin det illi hunc effectum formalem; sed tamen dicunt, posse eandem vbicationem replicari alibi cum eodem Petro alibi existente, & tunc eam vbicationem Romanam esse in illo alio loco non per se ipsam, sed per aliam vbicationem superadditam, quae reddat presentem illum vbicationem in illo alio loco; in hoc enim nulla apparet contradictio in ordine ad potentiam Dei absolutam. Addunt alij ex suppositione prioris miraculi, quo Petrus ponitur in duplici loco, debere fieri hoc secundum, imo non posse aliter fieri, quin vbicatio Romana ponatur in illo alio loco; quia non potest intelligi, Petrum esse ibi, & non esse ibi quae sunt vnita cum Petro. Supponunt enim accidentia non habere aliud ubi intrinsecum, sed omnia esse hic per ubi subiecti; nam albedinem esse hic, non est aliud, quam esse in subiecto, quod est hic. Sicut ergo repugnat, quod Petrus sit Neapoli, & non sit ibi albedo, quae est in Petro; sic repugnat, quod sit ibi vbicatio Romana, quae est in eodem Petro.

Hac sententia nimis singularis est, & contra communem sensum omnium, qui semper in hac quaestione excipiunt eiusmodi accidentia, ne replicentur, replicato subiecto. Et in primis, si dicatur, ubi Romanum debere accipere aliud ubi superadditum ad hoc, ut ponatur Neapoli; tunc non potest dici, quod ex suppositione prioris miraculi, quoties Petrus ponitur in duobus locis, debeat in vtroque loco poni vtraque vbicatio; ex hoc enim sequeretur processus in infinitum. Nam si vbicatio Romana Petri, quia est in Petro, debet poni Neapoli per aliam vbicationem superadditam; ergo hac ipsa vbicatio superaddita vbicationis Romanae debet replicari Romae per aliam vbicationem super-

59. Coniunctio communis.

60. Contendunt tamen aliqui vbicationes posse replicari.

Addunt alij.

61. Hac sententia reuocatur.

Arguitur inde processus in infinitum.

